

quantius inclinatur in delectationes corporales quam spirituales. Ergo delectationes corporales sunt (1) potiores spiritualibus.

2. Præterea. Majoris efficacæ est res ipsa quam similitudo rei. Sed delectationes corporales, utpote tactus, & gustus, proveniunt ex ipsis rebus conjunctis; delectationes autem spirituales, utpote quæ sunt in contemplando, proveniunt ex similitudinibus rerum, quibus intelligimus. Ergo delectationes corporales sunt potiores spiritualibus.

3. Præterea. Ut Avicenna dicit in V. de naturalibus; operatio causarum utilium præsentium est efficacior quam operatio causarum utilium futurarum; & similiter operatio causarum utilium ad delectandum est efficacior quam operatio causarum utilium (2) honestati: & similiter operatio ejus quod est secundum opinionem, est efficacior quam operatio ejus quod est secundum rationem. Sed operationes corporales proveniunt ex bonis præsentibus utilibus ad delectandum secundum opinionem boni; delectationes vero spirituales proveniunt præcipue ex bonis futuris honestis, & secundum rationem existentibus. Ergo delectatio corporalis est potior spirituali.

4. Præterea. Delectationes corporales sua efficacia quandoque rationem evertunt, & corpus transmutant, & ideo indigent refrænari, ut Philosophus dicit in VII. Ethic. cap. III. vel V. *Concupiscenciæ venerorum manifeste corpus transmutant, & quibusdam insanias faciunt.* Delectationes autem spirituales hoc facere non videntur, unde & eas refrænare non oportet. Ergo corporales sunt potiores spiritualibus.

Sed contra est quod Philosophus dicit in X. Ethic. cap. VII. vel VIII. quod *delectabilissima operatio est illa quæ est secundum sapientiam. Videtur enim Philosophia admirabiles delectationes habere puritate, & firmitate.* Et ad hoc est etiam quod dicitur Eccli. xxiv. *ex ore Sapientiæ: Spiritus meus super mel dulcis, & hæc edulas mea super mel, & favum.*

Præterea. Bonum est causa delectationis. Sed spirituale bonum præminet corporali. Ergo & spirituales delectatio corporali.

Præterea. Album est quod est nigro impermixtus. Sed delectatio corporalis habet admixtam tristitiam, quæ ei contrariatur; delectationi autem spirituali non est aliqua tristitia contraria quæ possit ei admisceri. Ergo delectatio spiritualis est potior corporali.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod inter delectationes corporales non est potissima illa quæ est secundum tactum. Spirituales enim delectatio est potior quam corporalis. Ergo & quanto aliqua delectatio corporalis est spirituali vicinior, tanto est potior. Sed delectatio visus, & auditus est propinquior spirituali delectationi quam delectatio tactus. Ergo est potior.

2. Præterea. Delectationis causa est perceptio convenientis. Sed visus inter alios sensus est magis perceptivus, & cognoscitivus, ut patet per Philosophum in I. Metaphys. cap. I. Ergo & delectatio visus est potissima inter corporales.

3. Præterea. Præcipue delectationes tactus sunt in actibus nutritivæ, & generativæ. Actus autem illi sunt communes etiam plantis, in quibus nulla delectatio invenitur. Ergo tactus habet minimum de delectatione.

(1) Al. altiores. (2) Al. honestatis.

Sed contra est quod temperantia est circa maximas delectationes, & tristitias corporales. Est autem circa delectationes tactus, ut dicitur in III. Ethic. cap. XIII. vel XIX. Ergo delectationes tactus sunt potiores aliis corporalibus.

Præterea. Delectationi corporali opponitur dolor. Sed dolor præcipue ad sensum tactus pertinet, cum ex divisione continui proveniat. Ergo & inter delectationes corporales delectatio tactus est potior.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod inter delectationes spirituales delectatio quæ est in operibus activæ, sit potior ea quæ est in operibus contemplativæ. Delectatio enim ad affectum pertinet. Sed activa vita ex rectitudine voluntatis dependet; contemplativa vero magis consistit in perfectione intellectus. Ergo delectatio in operibus activæ est potior delectatione quæ est in operibus contemplativæ.

2. Præterea. Delectationis causa est operatio naturalis habitus. Sed habitus virtutum moralium, quæ perficiunt in activa, magis movet per modum naturæ quam habitus intellectualium virtutum: sciens enim sine difficultate potest aliquid falsum considerare, sed justus non potest sine difficultate operari injusta, ut dicitur Lib. IX. Ethic. cap. x. & XIII. Ergo delectatio virtutum moralium, quæ ad activam pertinent, est potior delectatione intellectualium, quæ pertinent ad contemplativam.

3. Præterea. Convenientia est ratio delectationis. Sed delectatio magis convenit cum virtute morali quam cum intellectuali: & virtutem, & malitiam moralem circa delectationem, & tristitiam ponit, ut dicitur in II. & VII. Ethic. Ergo delectatio activæ potior est delectatione contemplativæ.

Sed contra. Operationibus contemplativæ non admiscetur amaritudo, aut tædium: unde Sap. VIII. 16. *Non habet amaritudinem conversatio illius, scilicet sapientiæ, nec tædium convicius illius.* Sed operationes activæ vitæ sunt multis amaritudinibus respersæ. Ergo delectationes contemplativæ vitæ sunt potiores.

Præterea. Quanto aliqua operatio est delectabilior, tanto magis potest continuari. Sed operatio contemplationis maxime potest continuari, ut dicitur in X. Ethic. Ergo operatio contemplationis est maxime delectabilis.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod in beatis omnibus est æqualis delectatio. Quia, ut dicitur in Glossa I. Corinth. xv. super illud. *Stella differt à stella in claritate*, in dispari claritate erit par gaudium.

2. Præterea. In beatis erit perfecta charitas: unde unusquisque perfecte implebit illud præceptum (Math. xxii. 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ergo tantum gaudebit unusquisque de bono alterius, sicut de bono suo; & sic videtur quod omnes æquale gaudium habebunt.

3. Præterea. Gaudium non diminuitur nisi ex aliquo impedimento. Sed in nullo beatorum erit aliquod impedimentum gaudii. Cum igitur omnibus sit una gaudendi ratio, scilicet Dei visio, videtur quod omnes æqualiter gaudebunt.

Sed contra. Homines assumuntur pro diversitate meritorum ad diversos ordines Angelorum, sicut dicitur in I. Petri. II. 9. *Quia unusquisque vestri assumitur ad opus suum, sicut etiam unusquisque vestri assumitur ad gloriam suam.*

(1) Al. deest majores.

cit Gregorius, homil. xxxiv. in Evang. Sed non in omnibus Angelis est æquale gaudium: unde dicit Dionysius VII. cap. cœlest. Hierar. quod suprema hierarchia est sola digna effecta domestica unitate divinæ refectionis; per quam refectionem delectatio intelligitur. Ergo nec omnes beati æqualiter gaudebunt.

Præterea. Visio Dei in beatis erit causa delectationis. Sed quidam Sancti clarius Deum videbunt, ut supra dictum est. Ergo nec omnes æqualiter delectabuntur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut aliquid dicitur dupliciter magis notum; vel simpliciter, vel quoad nos; ita potest una delectatio potior altera judicari vel simpliciter, vel quoad nos. Loquendo igitur simpliciter, delectatio spiritualis incomparabiliter præminet corporali propter sex rationes. Primo, quia spiritualis perfectio, quæ spirituales delectationem causat, incomparabiliter perfectionem corporalem excedit, quæ causat delectationem corporalem. Secundo, quia cum hæc sit melior, est delectanti convenientior: unusquisque enim maxime est illud quod est in eo perfectissimum, ut patet per Philosophum in X. Ethic. cap. VII. vel XI. In nobis autem perfectissimum est spiritualis natura, secundum quam res spirituales sunt nobis convenientes, sicut in unoquoque forma est potior materia; & id quod convenit nobis secundum spirituales naturam, est nobis convenientius: & propter hoc quantum est de se, natum est magis delectare. Tertio, quia perfectio spiritualis est naturaliter magis dilecta quam corporalis; & hoc experimento patet: homines enim multa sustinent incommoda corporalia, ut vitent infamiam, vel habeant victoriam, seu eminentiam, quæ sunt perfectiones intelligibiles, & non corporales. Quanto autem aliquid magis diligitur, tanto habitum magis delectat: unde dicit Philosophus in XI. de animalibus, vel Lib. I. de partibus animal. cap. v. quod amator quando diligit aliquid, afficitur ad id quod comprehendit de eo, quamvis aliquando quod comprehendit, sit modicum quantum ad multa quæ comprehendit de aliis rebus: & sic parva cognitio quam habemus de substantiis spiritualibus cœlestibus est nobis delectabilissima. Quarto, quia cum conjunctio sit delectationis causa, quanto aliquid vehementius conjungitur, magis delectat. Res autem spirituales intellectivæ intimius nobis conjunguntur quam res corporales apprehensæ per sensum: sensus enim per apprehensionem conjungitur rebus corporalibus quasi superficialiter tantum; sed intellectus pertingit usque ad intimam rei quidditatem: unde delectatio intelligibilis est potior quam sensibilis. Quinto quia cum operatio sit causa delectationis per hoc quod procedit ab operante perfecto, sicut cum perficitur per habitum, quanto in operante invenitur major perfectio respectu operationis, tanto ejus operatio est delectabilior. Motus autem est actus imperfecti: unde operationes admixtæ motui intantum deficiunt à perfectione delectationis, inquantum motui adjunguntur: ex motu enim lassitudinem inducunt: & ideo cum operationibus corporalibus adjungatur motus, operationes autem spirituales sint à motu remotæ; spirituales delectationes erunt corporalibus potiores, & per consequens vehementiores. Sexto, quia spirituales delectationes sunt diuturniores, & firmiores cor-

poralibus, utpote ex causis incorruptibilibus, & immobilibus provenientes. Loquendo autem de delectatione quoad nos, delectatio corporalis est nobis perceptibilior propter quatuor rationes. Primo, quia res corporales sensibiles magis percipimus quam res spirituales, eo quod oportet ex sensibilibus pervenire in intelligibilia: ante delectationem autem requiritur perceptio convenientis; & inde est quod plures inclinantur ad delectationes corporales quam ad spirituales, quia plures cognoscunt sensibilia quam intelligibilia. Secundo propter dispositionem affectus nostri, qui est assuetus delectationibus corporalibus: unde sicut gustus infectus non percipit dulcedinem puram, ita etiam affectus nostri delectationibus corporalibus inquinati delectationes purissimas, scilicet spirituales, percipere non possunt: & ideo homines virtuosus, qui habent affectum deputatum à corporalibus delectationibus, magis spiritualibus delectationibus fruuntur. Unde & Philosophus dicit in X. Ethic. c. v. vel VIII. quod illa est potissima delectatio quæ videtur potior virtuosus. Tertio, quia delectationes corporales propinquiores sunt virtutibus corporalibus motivis: unde ex delectationibus, & doloribus corporalibus statim sequitur corporis transmutatio; non autem ex delectationibus, & tristitiis spiritualibus, nisi sint adeo fortes quod ex eis fiat redundantia in appetitum sensibilem. Transmutationes autem corporis maxime percipiuntur: unde & delectatio corporalis magis percipitur quam spiritualis. Quarto, quia, ut dicit Augustinus VIII. Confess. cap. III. gaudium, vel delectatio major sequitur, ubi major molestia præcessit. In rebus autem corporalibus continue molestamur propter continuos motus, qui omnes cum labore quodam sunt; sed in rebus spiritualibus non inveniuntur hujusmodi molestiæ: unde delectationes corporales (1) majores apparent, utpote magis è vicino remedium præbentes contra molestias corporales: unde secundum Philosophum in VII. Ethic. cap. XIV. corporales delectationes appetuntur ut medicinæ quedam contra corporales molestias; & propter hoc juvenes, in quibus natura laborat continue ex augmento corporis, & aliis moribus, magis afficiuntur ad delectationes corporales: & similiter melancholici, quorum corpus semper mordetur ex malitia complexionis, sunt in vehementi appetitu delectationis, utpote semper indigentes medicina, ut ibidem dicit Philosophus.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de comparatione delectationum quoad nos.

Ad secundum dicendum, quod per similitudines spirituales nobis conjunctas magis pertingimus ad intimam quam per ipsam conjunctionem realem quæ nobis secundum sensum exhibetur, cum tactus, & gustus non cognoscant nisi accidentia, intellectus vero ipsam rei quidditatem.

Ad tertium dicendum, quod Avicenna ibi loquitur de comparatione delectationum quoad nos: unde contrarium dicit in sua Metaph. loquens de comparatione delectationum secundum se, ubi dicit, quod delectationes corporales non sunt etiam nominandæ delectationes respectu spiritualium. Vel potest dici, quod Avicenna ibi loquitur de delectationibus quæ in passione consistunt, quæ fiunt per motum spiritus corporei animalis: vult enim quod hujusmodi delectationes sensibiles minus proveniant ex rebus spiritualibus quam ex corporalibus.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. deest majores.

Zz

Ad

Ad quartum dicendum, quod delectationes corporales propter hoc quod faciunt transmutationem corporalem magis quam (2) spirituales, nature sunt rationem impedire, sicut & alie transmutationes corporales; sed delectationes spirituales quamvis mentem ad se rapiant, tamen usum rationis in nullo impediunt, unde sobria nominantur. Ideo autem potest in delectationibus corporalibus secundum Philosophum in VII. Ethic. cap. ult. superabundantia inveniri, quia non sunt homini secundum seipsas eligibiles, sed solum per accidens, in quantum scilicet sunt ut medicina corporales tristitias prohibentes: & ideo appetendae sunt servata quadam mensura, quam eis ratio præfigit; & si eam excesserint, noxia reputantur. Sed delectationes spirituales appetuntur secundum seipsas quasi homini connaturales, & non ut medicina, cum non habeant tristitias contrarias: & ideo delectationibus spiritualibus nullam mensuram præfigit ratio; sed quanto sunt majores, tanto sunt eligibiliores.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod delectationes sensus tactus comparantur delectationibus aliorum sensuum dupliciter. Uno modo quantum ad vehementiam; & sic delectationes tactus sunt aliis vehementiores propter quatuor rationes. Primo, quia tangibile conjungitur nobis realiter; sed visibile, & audibile, & odorabile conjungitur nobis per aliquid sui; & tamen nullus sensus ad interiora rei ingredi potest. Res autem corporalis efficacior est ad delectandum corporaliter quam species rei, vel aliquid à re causatum. Secundo, quia tangibilia sunt nobis magis connaturalia, eo quod ex calido, & frigido, & humido, & sicco constituitur animal: & ideo majorem delectationem inferunt nobis tangibilia quam alia sensibilia, sicut & majorem læsionem: quia eorum excellentiæ non solum corrumpunt unum sensum, sed totum animal. Tertio, quia cum sensus tactus sit quasi fundamentum aliorum sensuum, ratione cuius immobilitate ejus organo omnes sensus immobilitantur, ut dicitur in Lib. de somno, & vigilia, id quod in tactu accidit tam de delectatione, quam de læsione redundat in hos sensus; & propter hoc delectatio tactus inter corporales est vehementior. Quarto, quia delectationes tactus sunt circa necessaria ad conservationem individui, & speciei, sicut in cibis, & potibus, & venereis; & propter hoc apposita est in eis maxima delectatio, ne ab animalibus negligantur; & inde est quod circa has delectationes maxime est temperantia, ut dicitur in III. Ethic. cap. XIII. vel XIV. Secundo comparantur delectationes tactus aliis delectationibus quantum ad nobilitatem; & sic sunt magis materiales, & magis bestiales, & per consequens minus nobiles. Alii enim sensus spiritualius recipiunt sua objecta quam tactus: unde & alia animalia non delectantur aliis sensibus, nisi in ordine ad tactum, ut dicitur in III. Ethic. (ubi supra) sed homo delectatur etiam eis in quantum ordinantur ad cognitionem solam.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc quod delectationes aliorum sensuum sunt propinquiores aliis delectationibus spiritualibus quam delectationes tactus, potest haberi quod sunt nobiliores, non autem quod sint vehementiores, cum modum delectationum corporalium non transcendant.

Ad secundum dicendum, quod quamvis visus sit

(2) Al. spiritualem. (3) Al. non est. (4) Al. ad superiorem. (5) Al. ut vim.

magis perceptivus aliis sensibus, tamen ejus perceptio est secundum minorem conjunctionem ad rem quam in sensu tactus: & ideo delectatio quæ est de sensibili delectabili, magis est per tactum quam per visum: sed tamen delectatio quæ est de cognitione visus, est major quam quæ est de cognitione tactus. Sed hoc modo non delectantur alia animalia in sentiendo, sed solum homines in ordine ad scientiam quam ex sensibus acquirunt: unde talis delectatio cadit quodammodo in genus spiritualium delectationum.

Ad tertium dicendum, quod quamvis ea de quibus sunt præcipue delectationes tactus, inveniantur in plantis, non tamen ea percipiunt: unde (3) hoc est ex defectu perceptionis.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod delectationes quæ sunt in operibus speculativæ vitæ, præeminent delectationibus quæ sunt in operibus activæ, & hoc propter quatuor rationes. Primo, quia sunt nobiliores utpote ex nobilioribus rebus provenientes: actus enim vitæ activæ sunt secundum conversionem inferioris partis animæ ad ea quæ infra ipsam sunt, sicut ad passiones circa quas morales virtutes consistunt, & ad usus bonorum exteriorum, in quibus aliqua virtutes consistunt, ut iustitia, & liberalitas; sed actus vitæ contemplativæ sunt secundum quod anima convertitur (4) per superiorem rationem ad res æternas, quæ sunt supra ipsam. Secundo, quia sunt convenientiores: sicut enim ratio in nobis excellit sensum, ita id quod est convenientius rationi, est nobis convenientius quam quod convenit sensui. Similiter speculativus intellectus præcedit practicum: unde perfectiones intellectus speculativi sunt homini convenientiores. Tertio, quia sunt puriores. Opera enim activæ vitæ sunt circa passiones sensitivæ partis, & circa corporales motus, & sic admiscetur eis de lassitudine, & materialitate; quod non contingit de spiritualibus delectationibus. Quarto, quia spirituales delectationes sunt perfectiores. Homo enim ad opera vitæ activæ multis indiget; sed in operibus contemplativæ est sibi unusquisque magis sufficiens: unde contemplativæ delectatio non ita patitur defectum sicut delectatio activæ ex hoc quod desit aliquid eorum quæ ad perfectam operationem requiruntur.

Ad primum ergo dicendum, quod affectus se habet communiter & ad activam, & ad contemplativam vitam. Sicut enim aliquis volens opera activæ exercere, ita & contemplativæ opera; & sic in affectu est communiter delectatio de utroque; sed causa delectationis contemplativæ vitæ est in intellectu quantum ad superiorem partem; causa vero delectationis activæ vitæ est in parte superiori animæ. Affectus autem non minus afficitur ex his quæ sunt superioris partis rationis quam ex his quæ sunt inferioris, sed magis.

Ad secundum dicendum, quod habitus inclinatur ad actum dupliciter. Uno modo ad hoc ut actus exercetur; & sic inclinatur ad actum non est nisi habitus in parte appetitiva existentis: quia appetitus qui habet bonum, & finem pro objecto, movet seipsum, (5) & vim cognitivam in actum: ex desiderio enim actus, vel finis provenit quod aliquis aliquem actum exerceat, dummodo non sit ex necessitate nature. Alio modo quantum ad modum agendi, ut scilicet illud quod agitur, recte agatur; & sic quilibet habi-

tus

tus inclinatur ad actum. Habitus ergo contemplativus, utpote sapientia, vel intellectus, non intelligit ad hoc quod aliquis utatur contemplationis actu, sed ut quando utitur, recte utatur. Sed ad hoc quod utatur non inclinatur nisi habitus qui est in appetitu non inferiori, sed superiori, utpote charitas. Unde etiam charitas ad vitam contemplativam pertinet, utpote inclinans habitus contemplativos ad actus suos. Sed habitus activæ vitæ, ut virtutes morales, sunt in parte appetitiva, utpote in irascibili, & concupiscibili, ut temperantia, & fortitudo: unde habitus isti inclinant & ad hoc quod agatur, & ad hoc quod recte agatur; & pro tanto nature comparantur, quæ est principium movendi. Nihilominus tamen illud in quod inclinatur habitus speculativus, est nobis magis connaturale quam illud in quod inclinatur habitus activus.

Ad tertium dicendum, quod delectationis causa est convenientia, non quidem delectationis, sed causæ ejus ad delectatum. Delectationes autem quæ cum virtute morali conveniunt, sunt delectationes corporales, vel corporalibus admixtæ, quæ sunt materia virtutum moralium; sed contemplativæ vitæ conveniunt aliæ nobiles delectationes, scilicet spirituales; non tamen ita quod delectatio sit contemplationis materia, sed est contemplationem consequens.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod intensio delectationis potest provenire ex duobus, scilicet ex causa delectationis quæ est fortior, & ex dispositione delectati quæ est delectationis capax. Causa autem delectationis proxima est operatio, sed remota operatio objectum; sicut in delectatione beatorum, de qua nunc agitur, causa proxima est Dei visio, sed prima causa est Deus. Hæc igitur causa prima una est, & communis omnibus beatis: unde quantum ad hoc eorum delectatio est æqualis; visio autem, & dispositio ad delectationem non est æqualis, quia unus alio clarius videt, ut ex supradictis patet: unus etiam alio est delectationis capax propter perfectiorem habitum, qui est lumen gloriæ: & ideo quidam magis delectantur aliis, quamvis secundum quod omnes æqualiter delectentur, materialiter loquendo, in quantum scilicet gaudent de æquali re, scilicet de Deo; & sic intelligitur Glossa inducta, quod in dispari claritate erit par gaudium.

Unde patet responsio ad primum. Vel dicendum ad primum, quod omnium beatorum dicitur esse par gaudium, in quantum unusquisque ad summum gaudium pervenit secundum modum suum; sed modus unius erit amplior quam alterius, & secundum hoc gaudium unius erit majus gaudio alterius, ut sic illa paritas importet non æqualitatem quantitatis, sed proportionem.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in regno cælorum minor gaudet non solum de bono suo, sed etiam de bono superioris, non tamen tantum gaudet de eo quantum superior: quia ratio gaudii in omnibus erit Deus; & ideo quanto aliquis plus gaudet de Deo, tantum plus gaudebit de quocumque alio: unde superior plus gaudebit de bono inferioris quam ipse inferior.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in nullo beatorum sit aliquid delectationis impedimentum, sunt tamen ibi alie causæ intensionis: non enim intenditur

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Forte nominari, vel inter dotes numerari.

aliquid solum per remotionem à contrario, sed etiam per accessum ad terminum.

## QUÆSTIO IV.

Deinde queritur de dotibus: & circa hoc queruntur quinque.

Primo. An beatis sint assignandæ aliqua dotes.

Secundo. Utrum dos a beatitudine differat.

Tertio. Utrum Christo insint dotes.

Quarto. Utrum Angelis.

Quinto. De numero dotium.

## ARTICULUS I.

Utrum sint ponendæ aliqua dotes in hominibus beatis.

IV. contra Gent. cap. LXXXVI. & I. Corinth. xv.

lect. VI.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod non

sint ponendæ aliqua dotes in hominibus beatis. Dos enim secundum jura datur sponso ad sustinenda onera matrimonii. Sed Sancti non gerunt figuram sponsi, sed magis figuram sponsæ, in quantum sunt membra Ecclesiæ. Ergo eis dotes non dantur.

2. Præterea. Dotes non dantur secundum jura à patre sponsi, sed à patre sponsæ. Omnia autem dona beatitudinis beatis dantur à patre sponsi, scilicet Christi: Jacob. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre matrum.* Ergo hujusmodi dona quæ beatis dantur, non sunt dotes appellandæ.

3. Præterea. In matrimonio dantur dotes ad facilius toleranda onera matrimonii. Sed in matrimonio spirituali non sunt aliqua onera, maxime secundum statum Ecclesiæ triumphantis. Ergo non sunt ibi aliqua dotes assignandæ.

4. Præterea. Dotes non dantur nisi causa matrimonii. Sed matrimonium spirituale contrahitur cum Christo per fidem secundum statum Ecclesiæ militantis. Ergo eadem ratione si beatis aliqua dotes conveniunt, convenient etiam Sanctis in via existentibus. Sed istis non convenient. Ergo nec beatis.

5. Præterea. Dotes ad bona exteriora pertinent, quæ dicuntur bona fortune. Sed præmia beatorum erunt de interioribus bonis. Ergo non debent dotes (1) numerari.

Sed contra. Ephes. v. 32. dicitur: *Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo, & Ecclesia: ex quo habetur quod spirituale matrimonium per carnale significatur. Sed in carnali matrimonio sponsa dotata traducitur in domum sponsi. Ergo cum Sancti in domum Christi traducantur cum beatificantur, videatur quod aliquibus dotibus dorentur.*

Præterea. Dotes in matrimonio corporali assignantur in matrimonio solutum. Sed matrimonium spirituale est delectabilius quam corporale. Ergo ei dotes sunt maxime assignandæ.

Præterea. Ornamenta sponsarum ad dotem pertinent. Sed Sancti ornati in gloriam introducuntur, ut dicitur Isai. LXI. 10. *Induit me vestimentis salutis... quasi sponsam ornata monilibus suis.* Ergo Sancti in patria dotes habent.